

*aëris puritas* omni studiô comparanda & conservanda. Huic scopo luculentus ignis non in publicis solum locis per compita & plateas accensus, ex præscriptô Hippocratis, inserviet, sed etiam privatos inter parietes quilibet eundem alere, injectisque ♁, myrrhâ, succinô, granis juniperi aliisque alterare potest & debet. Locus ipse, quem æger occupare cogitur, sit luminosus, purus & aceto rutaceô, bezoardicô, sæpius corrigatur, eôque & jam nominatis crebrò prunis inspersis suffimigetur. *Cibus* utendum, *εὐχύμοις, εὐπέπτοις*, quibus *cichoreum, acerosa, endivia, cocta* admisceantur, aut *succus granatorum, ribium, berberum, citri, limonum*, instilletur. Imò & ipsi fructus concedi possunt, & *gelatina CC., eboris. succo citri & berberum colorata & exaltata*, nisi symptomata disfluadeant. Vinum in actu curationis solummodò conceditur, ad refectionem, *ὀλιγοπόρον*. In præservatione generosius conceditur, quod utilitatem majorem habet, dum curas pellit metumque, sanguinem spirituosum reddit, & efficaci balsamo eundem conservat. *Cerevisia* nitrosior eligenda, nec parcâ manu præbenda. Alteranda hæc est *Tinct. violar. rosar. & flor. cordial. c. sp.* *Θ*lis extractâ, *clyff. ℥ii ♁rat. ⊕* & aliis acidis. *Alvus* non violenter turbanda; sed blandè officii sui admonenda. *Vigiliis* hebescunt nimis *~tus* & consumuntur; *somnus* verò restituit, nisi fuerit nimius. *Motus* moderatior præ quiete eligendus, ne torpidior redditus sanguis aut stagnationem, aut coagulationem minitetur. *Animi pathemata* ita componantur, ut pulsus mœrore & tristitiâ, robur indies addatur, ac generosa confidentiâ pectus firmetur. Sint procul curæ atque metus, hilari fronte hîc est opus. Absurdum enim intempestivâ sollicitudine sibimet ipsi accersere & dolere malum, quod tunc mutari nequit. Exulent proindè terror, ira & animi excandescencia. Bonô modò sit animo æger, confidat DEO, naturæ & hujus ministro; & sic per DEUM optimus impe-  
trabitur

F I N I S.